



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

8. Julii. Conatus conatu, consuetudine consuetudo, quasi clavus clavo,
retundatur. S. Ignat. apud Maff.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

fructu. Nempe sol non aspicitur, quin illuminet; nec ignis aditur, quin calefaciat. Muta quidem, efficacissima tamen sanctitas est concio. Basiliscus visu nocet, vir perfectus prodest.

Modesta oris affabilitas, amabilis oculorum quies, elegans gestuum omnium temperies clavis est cordium, qua pectus etiam aheneum certiùs, quàm ullâ machinâ referatur.

Efficacior vox est operis quàm oris. Longa nempe via per præcepta, brevis per exempla. Certiùs finem obtinet, qui aptè ad persuadendum facit, quàm, qui dicit.

8. Julii.

Conatus conatu, consuetudine consuetudo, quasi clavus clavo, retundatur. S. Ignat. apud Maff.

Dura servitus consuetudinis! quæ non ferro, sed ferreâ vitii necessitate suos catenat; nec quidquam in humanis solet esse difficiliùs, quàm inolitæ consuetudinis tyrannis. Cave hujus funibus ligari.

Est tamen aliquid, quod longam, duramque consuetudinis catenam rumpat;

K

nempe

nempe contraria consuetudo. Magnum gratiæ beneficium, velle emendari; hæc ubi affulserit, bene sperandum.

Licet in naturam malum abierit usitatum, aliam tibi pro rationis, & divinæ legis dictamine legere naturam poteris consuetudinis novæ beneficio, adeo similem naturæ, ut tempore solùm dignoscatur.

Famuli, cum non placent dominis, & familia mittuntur, substituuntur alii; ita & vitium, si tibi sincerè displiceat, mitte, mox illi melior substitui potest; hic emendabit, quidquid consuetudo peccavit.

9. Julii.

Propter remotam spem multa in obsequium Dei faciendi inconsultè negligitur præsens occasio: fiet enim, ut hæc omittatur, & altera non obtineatur. S. Ignat. ibid.

UT pollicitis, ita propositis divitem fieri artis non est, nec labore hæc, nec ingenio egent. Sed quàm facilis, tam inutilia sunt ad intentum seu profanæ, seu sacræ œconomiae proventum.

Quid futura disponis? otiosorum hic labor est. Hic Rhodus, hic saltus. In præsententi, quod præ manibus est, negotio, ex-